Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



Aut si petierit ouum. Num quid porrigit illi scorpionem.

In ouo indicatur spes. ouum enim nondum est fetus perfectus. sed fouendo speratur. cui contrarium posuit scorpionem. cuius aculeus uenenatus retrotimendus est. sicut spei contrariu est retro respicere. cum spes futurorum in ea quae ante sunt extendatur.

Si ergo uos cum sitis mali nostis bona data dare filiis uestris. quanto magis pater uester de caelo dabit spm bonu petentibus se.

Quomodo mali dant bona. sed malos appellauit dilectores adhuc saeculi huius et peccatores. bona uero qui dant secundum eorum sensum. bona dicenda sunt. quia haec pro nobis habent. quamquam et in rerum natura ista bona sint sed temporalia. et ad istam uitam infirmam pertinentia. et quisquis ea malus dat non de suo dat. Dni est enim terra et plenitudo eius. qui fecit caelum terram et mare et omnia quae in eis sunt. quantum ergo sperandum est daturum dm nobis bona petentibus. Nec nos posse decipi ut accipiamus aliud pro alio cum ab ipso petimus quando nos etiam cum sumus mali. nouimus id dare quod petimur. non enim decipimus filios nros. et qualia cumque bona damus. non de nro sed de ipsius damus. Aliter apostoli qui electionis merito bonitatem generis humani multis excesserant modis. supne bonitatis intuitu mali esse dicuntur. quia nihil est per se et ipsum stabile. nihil inmutabile. nihil bonum nisi deitas sola. Omnes uero creaturae ut beatitudinem aeternitatis uel inmutabilitatis obtineant. Non hoc per suam naturam sed per creatoris sui participationem et gratiam consequuntur. quod uero dicitur. quanto magis pater uester de caelo dabit spm bonum petentib: se. pro quo mattheus posuit dabit bona petentib: se. Ostendit spm scm plenitudinem esse bonorum dei. et ea quae diuinitus administrantur. non alia absque ea subsistere. quia omnes utilitates quae ex donorum dei gratia suscipiuntur ex isto fonte demanant.

FINIT LIBER TERTIUS.

INCIPIT LIB QUARTUS

Exultans spu scto dns ut supra lectum est. confiteor tibi ait pater dne caeli et terrae quam abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et reuelasti ea paruulis.

Quae sententia secreti conscia iudicia semper effectum suae uirtutis iterare non desistit. Nam et generaliter in dei electione iudaeorum gentium